

remissionem peccati duntaxat præponit. *Ratio* autem hujus est partim ex eo, quod in baptismo peccata adeo perfecte deleantur, ut nihil omnino rationem culpæ habens remaneat; virtutes autem infusæ non sunt ita perfectæ, ut non quotidie magis ac magis perfici debeant: partim quia S. Doctor hic non agit de prima justificatione, comparando infusionem justitiæ cum remissione peccati, sed loquitur de justitiæ nostræ statu in præsentī vita, quem magis remissione peccati, quam perfectione virtutis constare dicit, quia quoad *durationem* et *conservationem* raro est constans, homoque a casu sæpe resurgere debet; vel si etiam conservetur justitia, tamen pura non est, sed multis peccatis venialibus admixta, adeoque quoad puritatem ejus perfectio acquiritur potius remissione peccatorum hujusmodi, quam virtutis perfectione: atque hoc ipsum declarat ratione adjecta, qua docet justos quotidie clamare; *Dimitte nobis debita nostra*; hancque orationem justis esse necessariam.

*Ad prob. Cons. R.* Opéra redemptionis Christi, quatenus *satisfactoria*, fuisse principaliter ordinata ad remissionem peccatorum, non item quatenus *meritoria*; quia hæc propter vitam gratiæ et gloriæ nobis obtinendam offerebantur; atque hæc responsio tenet pro sententia tum D. THOME, tum SUARESI de motivo incarnationis, ac præter alia fundamentum habet in verbis Pauli supra jam relatis: *Mortuus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram.*

427. *Observe I.* Superest quæstio, an præter gratiam sanctificantem quam supra distinctam a charitate docuimus, in justificatione infundantur etiam virtutes tum theologicæ, tum morales, seu virtutes cardinales per se infusæ? Sed de prioribus actum a nobis est alibi; de posterioribus breviter respondeo: non esse quidem *fide certum*, morales virtutes in justificatione infundi; esse tamen verum, et Scripturæ, Patribus ac rationi magis consentaneum.

*Ratio primi* est, quia nec ante TRIB. de hac infusione aliquid est definitum, ut concedunt omnes; nec etiam ab ipso TRIB., cum id de illis non solum in specie nihil enuntiaverit, sed nec sub generali quidem appellatione virtutum. Præterea quamvis Sess. 6. c. 7. fecerit mentionem *donorum* præter gratiam, et possint etiam probabilis conjectura dici sub hoc vocabulo esse intellectæ, id tamen ut certum, maxime de fide, asserti nequit. Solum in Can. 3. nominavit *pœnitentiam* cum *fide*, *spe* et *charitate*; sed et ibi loquebatur de actibus, non autem habitibus; et actus pœnitentiæ non supponit semper habitum proprium, sed a charitate proficisci potest.

*Ratio secundi* est, tum quia testimonia quædam Scripturæ in faciliiori et altiori sensu possunt intelligi de virtutibus hujusmodi infusis, qualia sunt: Sap. 7. v. 11. *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, et innumerabilis honestas per manus illius*; Sap. 8. v. 7. *Sobrietatem enim et prudentiam docet, et justitiam et virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus*; ad Coloss. 1. v. 10. et 11. *In omni opere bono fructificantes et crescentes in scientia Dei, in omni virtute confortati secundum potentiam claritatis ejus*: tum quia AUG. in enarr. Ps. 83. ad illa verba: *ibunt de virtute in virtutem*, enumeratis quatuor virtutibus cardinalibus inquit: *Istæ virtutes nunc in convalle plorationis per gratiam Dei donantur nobis*. GREG. autem hom. 5. in Ezech. n. 2. et 11. et AMBR. L. 6. Hexam. c. 7. has virtutes morales tribuunt Spiritui sancto: tum quia virtutes hujusmodi sunt possi-

biles in ordine gratiæ, ut aliunde probatur; ergo infunduntur cum gratia; partim quia hoc postulat perfectio gratiæ et justitiæ supernaturalis, partim quia id exigit necessitas eliciendi actus his virtutibus respondententes.

## ARTICULUS III.

## QUENAM PROPRIETATES CONVENIANT JUSTIFICATIONI?

428. *Nota.* Ex palmari illo de justitia Christi per fidem apprehensa, qua justii efficiamur et Deo accepti, deducunt 1°. *Lutherus* ejusque, præter *Kemnitium*, *Bucerum* et alios quosdam, plerique sectatores justitiam, utpote ipsam et eandem Christi, in omnibus justis esse æqualem, nec unum altero esse justiorem: 2°. *Calvinus* cum suis colligit, esse immobilem et inamissibilem, adeo, ut semel justificati, quantumvis gravissima scelera patrent, nunquam tamen excidant a gratia, et Spiritum sanctum amittant, ut cum suo Magistro docet *Theodor. Beza*, et definit syn. Dordrectana contra *Arminianos*; vel ita ut, licet justii ob peccatum subinde commissum excidant a gratia, non tamen remaneant in reatu mortis æternæ, sed per pœnitentiam redeant ad sanctitatem. 3°. Uterque demum concludit, posse ac debere omnes fide divina certo credere, se esse justos, adeo, ut si id non credant, jam justii non sint, cum per solam fidem justificentur.

429. *Dico I.* Justitia tum in diversis hominibus justis de facto est inæqualis, tum in uno eodemque homine potest crescere et fieri inæqualis. Utraque est *de fide*; ex TRIB. Sess. 6. cap. 7. et c. 10., item can. 24. 32.

*Prob. 1ª. p. I. AUCTORITATE.* 1°. Quia unus altero est major et sanctior. *Matth. 11. v. 11. Non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista; qui autem minor est in regno cælorum, major est illo*; et ex *epist. 37. AUG. (al. 187. n. 17.)*: *Unde in omnibus sanctis sunt alii aliis sanctiores, nisi abundantius habendo habitorem Deum?* 2°. Quia datur gratia secundum mensuram tum providentiæ et voluntatis Dei, tum dispositionis et capacitatis nostræ; ep. ad *Ephes. 4. v. 7. Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi; propter quod dicit: Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus*; et ex *AUG. tum in ep. cit. ibid.*: *Cum igitur qui ubique est, non in omnibus habitat; etiam in quibus habitat, non æqualiter habitat*; tum in *ep. 29. (al. 167. n. 13.)*: *Induti sunt sancti justitia, alius magis, alius minus*. 3°. Quia in N. T. major gratia et Spiritus abundantia communicatur Ecclesiæ, quam antea daretur hominibus, ut ex differentia inter veterem et novam legem constat.

*II. RATIONE.* Quia supposita gratiæ habitualis inæqualitatis et augmenti intensivi possibilitate, quam a posteriori et ex effectu in sequente parte secundum fidei principia probamus, ratio, cur uni major justitia tribuatur, quam alteri, reddi potest vel ex *voluntate Dei* ad ostensionem gratiæ suæ ita decernentis; vel ex *dispositione* supernaturali majore vel minore, quæ variat in hominibus ad justificationem se parantibus.

*Prob. 2ª. p. I. AUCTORITATE.* 1°. Quia Scriptura justitiam per augmentum

describit, Prov. 4. v. 18. *Iustorum semita, quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectum diem*; et Psal. 83. v. 7. et 8. *Ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum, in loco quem posuit: etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem*; in quem locum SS. PP. commentantes statuunt virtutem, merita et gratiam in justis frequenter augeri.

2<sup>o</sup>. Quia eadem adhortatur ad justitiæ augmentum, Eccli. 18. v. 22. *Ne verearis usque ad mortem justificari*; ad Coloss. 1. v. 9. et seq. *Non cessamus pro vobis orantes et postulantes, ut ambuletis digne Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes et crescentes in scientia Dei, in omni virtute confortati, etc.*; Apoc. 22. v. 11. *Qui justus est, justificetur adhuc: et sanctus, sanctificetur adhuc*; unde Ecclesia Dom. 13. post Pentecost. sic orat: *Omnipotens sempiternus Deus, da nobis fidei, spei, charitatis augmentum*; et in Trid. Sess. 6. cap. 10. declarat, hac oratione justitiæ incrementum peti.

3<sup>o</sup>. Quia similiter docet dari charitatis vel justitiæ fructuum augmentum, aut ad id adhortatur; ut patet ex 2. ad Cor. 9. v. 10. *Multiplicabit semen vestrum, et augebit incrementa frugum justitiæ vestræ*; ad Philipp. 4. v. 9. *Hoc oro, ut charitas vestra magis ac magis abundet in scientia et omni sensu*; et ad Ephes. 4. v. 15. *Veritatem facientes in charitate crescimus in illo per omnia, qui est caput Christus. Paulum imitatur Aug. L. 21. de Civ. c. 15. scribens; Hic pignore accepto illud, cujus est hoc pignus, suo tempore consequemur: nunc autem ambulemus in spe, et proficientes de die in diem spiritu facta carnis mortificemus*; dum autem jam justificati proficimus, ut idem serm. 16. de verb. Apost. (Al. serm. 138. n. 5.) ait, *ipsa justitia in nobis crescit: charitas autem vel eadem, vel inseparabiliter conjuncta est cum justitia ex supra dictis.*

II. RATIONE. Quia in pluribus reperiuntur vel actus essentialiter et objective perfectiores, vel actus ferventiores et cum majore affectu ad meritum virtutis, præsertim ad placendum Deo elicitis, vel frequentiores quoad numerum, aut universaliores quoad plura virtutum motiva, vel susceptiones Sacramentorum perfectiores, ferventiores aut frequentiores; ergo cum actus virtutum sint dispositiones ad justitiæ initium, sequitur eosdem a justificatis elicitos multo magis esse dispositiones ad illius incrementum, vel potius, ut Trid. loquitur, *justitiæ augendæ causas.*

430. Dico II. Vere justificatus potest justitiam peccando amittere etiam in perpetuum, et ita, ut nunquam illa reparetur. Est de fide, et constat ex Trid. Sess. 6. c. 12. Item can. 23. et 27.

Prob. 1<sup>a</sup>. p. I. AUCTORITATE. Scriptura sacra 1<sup>o</sup>. docet justos posse amittere gratiam; in Veteri Testamento Ezech. 18. v. 24. dicitur: *Si averterit se justus a justitia sua et fecerit iniquitatem..., numquid vivet? omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur: in prævaricatione, qua prævaricatus est, et in peccato suo, quod peccavit, in ipsis morietur.* Item c. 33. v. 12. In N. T. Paulus ad Rom. 11. v. 20. ait: *Tu autem fide stas: noli altum sapere, sed time*; et v. 22. *Vide ergo in te bonitatem Dei, si permanseris in bonitate; alioquin et tu excideris.* Joannes vero ep. 2. v. 8. *Videte vosmetipsos, ne perdati, quæ operati estis; sed ut mercedem plenam accipiatis.*

2<sup>o</sup>. Ostendit justos de facto amisisse gratiam; nam, ut omittamus exempla

singulorum, *Adami scilicet, Davidis ac Petri*, de quibus alibi dictum. Paulus id testatur de quibusdam, dum 1. ad Tim. 1. v. 3. ait: *Finis præcepti est charitas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta, a quibus quidam aberrantes conversi sunt in vaniloquium*; et v. 19. *Habens fidem et bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt.* De pluribus determinate asserit ad Galat. 4. v. 6., etc. Demum de pluribus universim enuntiat ad Hebr. 6. v. 4. et seqq.

Similiter Patres idem asserunt 1<sup>o</sup>. *Expressis verbis.* 2<sup>o</sup>. *Equivalenter*, dum justis timorem, ne cadant et gratiam perdant, consulunt; perseverantiam incertam et speciale ad illam auxilium requisitum dicunt; pœnitentiam etiam justis post lapsum necessariam, sæpiusque iterandam denuntiant; ex quibus evidenter sequitur, justitiam sæpius amitti posse.

II. RATIONE. Quia hæc veritas ex principiis fidei alibi stabilitis desumitur; inter quæ 1<sup>um</sup>. est, justum obligari præceptis naturalibus divinis et humanis; 2<sup>um</sup>. transgressionem præcepti in materia gravi esse peccatum mortale; 3<sup>um</sup>. peccatum mortale non posse simul esse cum charitate; 4<sup>um</sup>. gratiam habitualement non determinare aut necessitare voluntatem, ut liquet ex paritate de gratia actuali, et per se evidens est in aliis habitibus.

Prob. 2<sup>a</sup>. p. I. AUCTORITATE. Scriptura rursus 1<sup>o</sup>. docet, justos posse fieri reprobos; et quidem in Veteri Testamento Ps. 2. v. 11. et 12. *Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore; apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, et pereatis de via justa.* Ezech. 33. in v. 13. sup. cit. additur: *In iniquitate sua, quam operatus est, in ipsa morietur.* In N. T. autem 1. ad Cor. 9. v. 27. *Castigo corpus meum, et in servitum redigo: ne forte, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar*; Apoc. 3. v. 11. *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.*

2<sup>o</sup>. Ostendit justos de facto fuisse reprobos, ut patet in angelorum lapsu et Judæ interitu, quos præter *Cainum, Saulem et Salomonem*, de quibus nonnulli disputant, Hieron. L. 2. contr. Jovinian. producit. His adjungi possunt tum *Judæi*, tum *Christiani*, quorum illos post circumcisionem, istos post baptismum et sic gratiam justificationis acceptam non paucos in æternum damnatos esse, etiam ex *sacris litteris* abunde declaratur. In idipsum consentiunt SS. PP.

II. RATIONE. Homo semel justificatus potest peccare et amittere justitiam; sed is potest non recuperare justitiam; quia recuperatio justitiæ nec certo et absolute est omnibus promissa, nec omnibus secundum legem ordinariam datur; ergo justificatus potest sic amittere justitiam, ut eam recuperet nunquam.

Conf. Si semel justificatus non posset amittere justitiam in perpetuum; ergo quilibet justus actu perseveraret, *perseverantia* vero non foret donum speciale, nec justus teneretur ad illam assiduis precibus petendam, nec esset causa, cur salutem cum timore et tremore operaretur et revereretur Omnipotentem, qui potest corpus et animam perdere in gehennam: sed hæc sequelæ repugnant experientiæ, Patribus et Scripturæ; ergo.

431. Obj. Scriptura negat justificatum posse peccare, ut patet ex Cant. 8. v. 7. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* Et 1. Joan. 3. v. 9.

*Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare.*

R. Quoad 1<sup>um</sup>. N. Ass. Textus primus juxta GREG. in hunc locum, et AMBR. L. de Jacob. c. 7. commendat efficaciam amoris et charitatis, si ea homo uti velit, contra tentationes et maxime tribulationes; non vero dicit hominem cogi semper, et infallibiliter adduci ad utendum charitate, ne ab illis vincatur. Secundus juxta alibi jam dicta ex HIER. L. 2. contr. Jovin. n. 2. intelligendus est sensu composito, quatenus, quamdiu homo manet in Deo, gratia et charitate, nec peccet, neque peccare possit; quia secundum legem saltem ordinariam gratia et peccatum simul stare nequeunt.

Inst. 1. Negat peccatorem antea fuisse justificationem, Psal. 118. v. 3. *Non enim, qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt*, et 1. Joann. 2. v. 19. *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis.*

R. N. Ass. Ad textum primum eadem est responsio, quæ modo est data; tum quia præteritum ponitur hic pro præsentem, uti in Psal. 1. v. 1. similis usurpatio habetur: tum quia S. AUG. serm. 2. in eundem Ps. 118. n. 2. hac interpretatione utitur scribens: *Si ambulant, non operantur iniquitatem; si non operantur iniquitatem, non habent peccatum, quia peccatum iniquitas est.* Eadem expositio valet pro simili objectione ex 1. Joann. 3. v. 6. *Omnis, qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum*; de quo AUG. L. de perf. just. c. 18. inquit: *Intelligendum arbitror, quia renovatio perficienda videt et cognoscit, infirmitas vero absumenda non videt, nec cognoscit eum*, etc.

Ad textum secundum solutionem præstat AUG. L. de don. persev. c. 9. n. 21. *Quid est, queso, Non erant ex nobis? Nonne.... vocati fuerunt, et vocantem secuti.... ex impiis justificati et per lavacrum regenerationis.... renovati? sed si hoc audiret ille, qui sciebat procul dubio quod dicebat, respondere posset et dicere: vera sunt hæc, secundum hæc omnia ex nobis erant; verumtamen secundum aliam discretionem non erant ex nobis; nempe secundum prædestinationem ad gloriam.*

Inst. 2. Negat justitiam unquam amitti, ut liquet ex Jerem. 32. v. 40. de gratia N. T. sic loquentis: *Timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant a me*; et ex 1. ad Cor. 13. v. 8. *Charitas nunquam excidit*; ergo.

R. N. Ass. Textus prior accipiendus est juxta S. AUG. L. 4. contr. duas epist. Pelag. c. 6. n. 13. et 14. de gratia actuali efficaci et dono perseverantiae, quod justificatis omnibus non datur, non vero de gratia habituali justis omnibus communi. Posterior si cum S. CHRYS. hom. 13. in 1. ad Cor. accipiatur pro amore Dei erga justos, inde non sequitur hos peccare non posse, sed duntaxat gratiæ auxilio nunquam destitui; si vero cum S. AUG. L. de mor. Eccles. c. 11., et alibi, de charitate Pauli; poterat id loqui de se ipso ex speciali revelatione: si demum secundum textum et litteram intelligatur de habitu amoris justis infuso, dicitur charitas non excidere, non quia peccando amitti nequeat, sed quia usque ad mortem retenta non evacuatur quoad suam substantiam, sed in statu gloriæ perficitur, atque secundum hoc a fide, spe et similibus donis differt.

Inst. 3. Similia statuunt Patres. Nam 1<sup>o</sup>. AUG. Tr. 3. in ep. 1. Joann. n. 9. ait: *Radicata est charitas: securus esto, nihil mali procedere potest*; et GREG. L. 10. Mor. c. 12. (al. 21. n. 39.): *Virtuti mortis dilectio comparatur; quia nimirum mentem, quam semel ceperit, a delectatione mundi funditus occidit.*

2<sup>o</sup>. AUG. juxta Gratian. dist. 2. de Pœn. c. 1., inquit: *Charitas, quæ deseri potest, nunquam vera fuit*; et AMBR. in 2. ad Cor. c. 6. v. 6. scribit: *Simulata charitas est in his, qui in necessitate deserunt fratres*; et PROSP. (al. JULIAN. POMERIUS) L. 3. de vit. contempl. c. 15. n. 1. *Si veram charitatem habemus de corde puro, conscientia bona et fide non ficta, facile peccato resistimus*; ergo.

Quoad 1<sup>um</sup>. R. Ex illis testimoniis nihil evinci nisi efficaciam charitatis, si quidem ea non sit otiosa, sed operatrix; et hoc quidem ostendere GREG. l. c. intendit, ideoque mox subjicit: *Et tanto hanc (mentem) valentius in auctoritatem erigit, quanto et insensibilem contra terrores reddit*: AUG. vero aliud institutum habet, tractatque de rectitudine operum exteriorum, quæ a charitate procedunt, et sic loquitur: *Redi ad conscientiam tuam, ipsam interroga: noli attendere quod floret foris, sed quæ radix est in terra. Radicata est cupiditas; species esse potest bonorum factorum, vere opera bona esse non possunt: radicata est charitas? securus esto, nihil mali procedere potest.*

Quoad 2<sup>um</sup>. R. Priorem textum male citari a Gratiano ex ep. ad Julianum, quam invenire hactenus non licuit; extare tamen in L. de salutar. docum. c. 7., sed qui liber S. Doctori duntaxat est suppositus: præterea vero nihil probare, quia charitas licet ex se et vi sui motivi, dum vera est, exigat manere et non desinere, tamen ex mutabilitate subjecti deseri potest. Atque hoc sensu exponitur illud HIERONYMI ep. 66. (al. 81.) ad Rufin., ubi ait: *Amicitia, quæ desinere potest, nunquam vera fuit*; nempe si fundatur in rebus, quæ desinere possunt, puta in divitiis, favore humano et reliquis motivis terrenis.

Eodem modo accipienda sunt verba AMBR., qui illis hæc subjicit: *Hæc vera charitas est, si sua utilitate contempta, ejus curam agat, quem diligere se profitetur.* PROSPERI sententia declarat, quid charitas operans præstet et in sensu composito, de quo vid. responsionem ad Argumentum.

Inst. 4. Gratia ex natura sua est perpetua et incorruptibilis; tum quia est spiritualis et altioris ordinis: tum quia est aliquo modo perfectior, quam lumen gloriæ et visio beatifica de se incorruptibilia; ergo semel infusa amplius desinere nequit, et hinc neque amitti: cum ob similem rationem anima, quantumvis ob peccatum destrui meretur, tamen non desinat.

R. D. A. Gratia in statu patriæ est perpetua et incorruptibilis C. in statu viæ subd. est ex natura sua incorruptibilis, quatenus in se non habet principium corruptionis, vel etiam non habet sibi physice contrarium oppositum T. quatenus exigat semper existere et permanere in suo subjecto, et sic ratione subjecti nequeat dici corruptibilis N.

Ad prob. 1<sup>am</sup>. R. perpetuitatem substantiæ spirituali asseri, non item accidenti.

Ad prob. 2<sup>am</sup>. discrimen est, quia lumen gloriæ et beatifica visio constituunt hominem in statu patriæ perpetuo, adeoque necessitatem afferunt connaturalis perpetuitatis; quod non convenit gratiæ habituali ad statum viæ pertinenti.

Inst. 5. Semel justificatus per baptismum aut alia ratione non potest damnari; ergo licet aliquando gratiam amittat, tamen illa nequit perpetuo carere. Prob. Ant. Ex Marc. 16. v. 16. *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*; Joann. 4. v. 13. et seq. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non*